

36

¶ Ad pleniorē habendā noticiā et intelligentiā locorum istorum Ierusalem civitati sancte adiacentium de quibus sacra in pagina crebro fit mentio potissimum in libris historicis veteris testamenti scilicet Josue Iudicum Regum Paralipomenon et ceteris. sed et novi testamenti pene singulis voluminibus. etiā ad declarationē evidentiorē picture et descriptionis terre sancte que hic habetur. subscriptā inferni terre sancte divisione que valebit non nichil immo quod multū defuerit predicantibus et legentibus frequenter scripturas prefertim memoratas.

Sciendum autē in primis quod terra ista quā sanctā dicim⁹ que cecidit in sorte duodecim tribuum israel pro parte aliqua dicebat⁹ regnū iudee. quod erat duarū tribuum scilicet Iudee et Benjamin. Pro parte altera dicebatur regnū Samarie civitatis scilicet que nūc Sebaste dicitur. Et erat caput decem tribuum reliquarū quod israel dicebatur. Verū tamen regnū istud cum tota terra philistinum quondā dicebatur Palestina que erat pars syrie. sicut Saxonia et Franconia partes sunt teutonice. et Lombardia et Tuscia partes ytalie. Ad hoc autē plenius intelligendū. Nota quod plures sunt syrie diversis scilicet nominibus nuncupate. Tota enim terra a regni fluvio usque ad egyptū generaliter syria nuncupatur. pars tamen eius prima que est inter fluvios Euphratem et Tygrim. et protenditur per longū ab aequinoctio in austrum. hoc est de monte Tauro usque ad mare rubrū appellatur Mesopotamia syrie. quasi media inter aquas. Et habet gentes multas videlicet Persas et Medos. quibus ab austro coniungitur Chaldea. in qua est Babilonia scilicet magna iuxta fluvium Chobar. ut patet Genesis 10. et illi ibidem ab austro adiacet Arabia usque ad mare rubrum. quod ut locus illius sinus arabicus dicitur.

Prima tamen pars totius huius mesopotamie que aequinoctium respicit. in qua est civitas ediffa que antiquitus Arath vel trages medorum nunc aut rase dicitur. specialiter mesopotamia syrie nuncupatur et hec est prima syria. Secunda est syria Cheleth sine celes. que incipit a fluvio Euphrate. et terminatur in riuo valanie qui fluit sub castro Margad. et cadit postea in mare magnū. In hac celestria erat insignis illa et famosa quondā civitas Antiochia cum alijs urbibus ad eam pertinentibus scilicet Loodicia Hispania et alijs multis.

Tercia est syria phenicis. que incipit a predicto fluvio valanie ab aequinoctio et extenditur versus austrum usque ad petram incisam sine deserta sub monte Carmeli qui postea vocabatur. et erat castrum munitissimum per gentium sub domino quondā fratrum de militia templi constitutum. In ista syria erant nobiles olim et magne civitates atque multe scilicet Margad. Antiochia. Tripolis. Barut. Sydon. Tyrus. Accon. Capharnaum. Et appellatur syria phenicis a phenicis filio Agenonis fratris Cathim qui tyrum instauravit. et eam metropolim huius terre constituit. atque terram ipsam suo nomine appellavit.